MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-12

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

NOELDECHEN, BERNARDUS

TITLE:

DE IMITATIONE IN CARMINIBUS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

Master Negative #
91-80397-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG91-B98001        Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - SAVE record
+
  ID:NYCG91-B98001    RTYP:a    ST:s    FRN:     MS:       EL:       AD:11-20-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:      UD:11-20-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?   GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:r      PD:1991/           REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10  Noeldechen, Bernardus.
  245 10  De imitatione in carminibus Homericis sono et rhythmo effecta‡h[microf
      orm]. ‡bDissertatio inauguralis quam...‡cpublice defendet auctor Bernard
      us Noeldechen.
  260 0   Berolini, ‡btypis expressit Gustavus Schade.
  300      52 p.  ‡c22 cm.
  LDG      ORIG
  QD       11-20-91
```

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88H
Z6

DE

IMITATIONE IN CARMINIBUS HOMERICIS SONO ET RHYTHMO EFFECTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE I. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BERNARDUS NOELDECHEN
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSABUNTUR:
L. SCHULZE, STUD. PHIL.
G. JACOB, CAND. PHIL.
W. ALBRECHT, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI OPTUMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Poesis Homericae virtutes ab omnibus aetatibus summis laudibus elatas si diligentius sub examen vocamus, internae an externae majores sint, dubitare possumus, vel ut distinctius exprimamus, utrum tractatio materiae epicae, an forma adhibita magis sit admiranda. Quamquam haec proprie tam arcte cohaerent et se invicem amplectuntur, ut dirimi nequeant. Nam ut parabole utar, sicut vestis ad corpus apta membra tegit, nec tamen eorum pulchritudinis speciem non praebet, ita forma operis poetici vel alius cujusvis litteris perscripti, si argumento convenit velut pellucida facta sententiarum praestantiam gratissime illustrat.

Homerum autem hanc aptandae ad materiam formae artem optime calluisse jam veteres rati religiosa quadam veneratione eum honoraverunt atque poesis patrem

„a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis"

praedicaverunt. Et vero vates ille divinus omnibus aetatibus de arte compositionis epicae praecepta dedisse putandus est, proprium enim est magni ingenii, ejus generis, cui operam dat, regulam normamque constituere. De materiae autem interiore compositione ac

dispositione, quae cum in Iliade imprimis non semper ad unicum consilium spectet, clarissimam illam quaestionem Homericam evocavit, accuratius disserere non e re mea esse ratus de forma tantum explicare mihi proposui, nec de toto quidem ejus ambitu, quippe qui latior sit quam pro angustis hujus disputationis finibus. Imitationem nimirum per sonum et rhythmum factam perlustremus, qua certe ita divinitus usus est Homerus (liceát enim hoc symbolico nomine poetas Homericos signare), ut Aristoteli adstipulari possimus, qui *μόνον Ὅμηρον ἔλεγε κινούμενα ὀνόματα ποιεῖν διὰ τὴν ἐνέργειαν*[1]). Hanc enim sententiam ut ferret, licet aliae etiam compositionis virtutes magnum philosophum permoverint, magna tamen ex parte imitatio illa, quae ultro sensibus se offert, talis judicii edendi causam attulisse mihi videtur.

Existit autem hoc loco quaestio, sitne hic formae splendor, quem in carminibus Homericis admiramur, ex meditatione et arte poetae natus, an potius ingenio ejus nativo tribuendus sit. Egregie, mea quidem sententia Horatius (A. P. 408 sq.) generaliter sic dijudicat:

„Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quaesitum est, ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid possit, video ingenium.“

Sed ut quaestionem, quatenus ad Homerum pertinet, accuratius perspiciamus, insignium quorundam recentioris aevi virorum de hac re sententias examinemus.

---

[1]) Plut. de Pyth. orac. p. 398 *A*.

A. W. Schlegelius[1]) eximium in carminibus Homericis formae et materiae concentum si inconsulte ex ingenio quasi effloruisse putemus, admiratione nostra multo esse digniorem observat, quam si poetam summum artis fastigium magno sudore assecutum esse existimemus. At quaero, num possit tale ingenium cogitari? Poeta enim quasi divino spiritu afflatus grandes sublimesque sententias animo concipiat, forma pulchra omnibusque numeris absoluta, non nisi meditatione et arte existet. Ac profiteor quidem genii poetici existimationem, quum singularem quandam requirat subtilitatem, difficiliorem esse, quam quae a me quaque ex parte apte dijudicetur, tamen me non errare opinor, quum furorem illum, quem dicunt poeticum, per se ad perfectum opus non sufficere censeo. Alius poeta ingenio, alius meditatione et arte excellit, admiratione autem vere dignus is demum habebitur, in quo ingenium et ars invicem sibi auxilium quasi ferunt. Minime autem haec ars cum exquisita illa et recondita doctrina confundenda est, qua instructi posterioris aevi poetae Alexandrini carmen illud epicum, quod artificiosum vocatur, minute excoluerunt.

Longe subtilius Schlegelio rem perspexit F. A. Wolfius[2]) sagacissimus harum rerum indagator, qui „Quamvis, inquit, hebeti sensu surdisque auribus sit, qui artem in illis nullam sentiat, utpote quam ne in versuum qui-

---

[1]) Commentatio de J. H. Vossii versione Homeri, scripta crit. vol. I p. 143.

[2]) Proleg. XII p. 24.

dem numeris doctissimi imitatores[1]) assequi potuerint, omnem tamen artem illam naturae quodammodo propiorem esse apparet, neque ex disciplinae cujusdam formula perscripta libris, sed ex nativo sensu recti et venusti delibatam."

Alia insuper quaestio, quae ad ipsum propositum nostrum spectat, hoc loco instituenda est. Schlegelius[2]) nimirum dubius haesitat, an degeneratae potius artis proprium sit, rerum naturam sono verborum et versuum rhythmo describere, quam poesis nativae. Miror virum eruditissimum hoc elocutum, nihil enim, mea quidem sententia, poesi nativae magis consentaneum est, quam haec, quae sensibus percipi potest, imitatio. Arctissime autem ea cohaeret cum origine linguae, quae quum rerum quasi imaginem praebere debeat, in primordiis

[1]) Ambigitur, nostrorum poetarum cui optime versus hexametri fluxerint, equidem nescio, an J. H. Vossio primae sint deferendae.

[2]) l. c. pag. 144: Man könnte doch zweifeln, ob sich ein so besonnenes und kleinliches Studium (nachahmender Ausdruck im Gange des Griechischen Verses und im Klange der Sylben) bei einer improvisirenden Sängerkunst annehmen lasse, wie die war, woraus die Homerischen Rhapsodien allmälig hervorgegangen. Ob es nicht eine Zergliederung der ästhetischen Eindrücke voraussetze, die gar nicht zu der kräftigen Einfalt eines Zeitalters paſst, dem die dichterische Begeisterung etwas so unerklärliches war, daſs es vollen Glauben an einen dabei waltenden göttlichen Einfluſs hegte. Ob endlich das sinnreiche Anspielen auf körperliche oder geistige Beschaffenheiten der Dinge durch Bewegung und Klang, durch Sylben oder Buchstaben, nicht eher für ein Symptom der ausartenden Kunst zu halten sei, als für eine der Naturpoesie eigene Schönheit?

suis ad naturam quam maxime se accommodat eamque ob causam sensibus imprimis satisfacere studet. Nam sicut priusquam ars scribendi inventa erat, res ipsae imaginibus depingebantur, ita antiquissima quaeque lingua litteris syllabis sono rhythmo res depingit. Sed in hanc quaestionem, de qua Plato in dialogo, qui Cratylus inscribitur, egregie philosophatus fundamenta eorum jacit omnium, quae recentioris aevi philosophi, imprimis Leibnitius et Herderus de linguae origine exposuerunt, altius descendere quum e re nostra non sit, quaedam, quibus Schlegelii sententia refellatur, adjiciamus. Errat enim, si quid video, eo imprimis, quod nativum elementum, quod inest in hac imitatione rhythmo et sono facta, non intellexit. Ipsa nimirum natura quum rhythmus certa quaedam habeat ἤϑη, quid causae est, cur in poesi nativa ad imitationem non adhibeatur? Imitationem vero sono factam integrae simplicitati minime repugnare ut demonstrem, exemplo utar lingua nostra rustica (plattdeutsch), in qua permulta insunt verba per sonum significantia et vere onomatopoetica, studium autem minutum et dissectionem affectuum aestheticorum quis est qui in ea videat?

Sed hic primus modo gradus est nativae imitationis, quum singulis verbis res quasi depinguntur. Nec vero Homerus in eo substitisse putandus est, sed linguae elementis sagaciter usus compositione etiam litterarum, syllabarum, verborum ac rhythmo depingere est conatus, ita tamen ut in inanes argutias non incideret. Praeclare igitur Herderus[1]) de eo haec dixisse mihi

[1]) de linguae origine op. omn. tom. I, p. 163.

videtur: „Dieser Sänger Griechenlands trifft, wie mich dünkt, eben auf den Punkt, der schmal, wie ein Haar, und scharf, wie die Schärfe des Schwertes ist, wo Natur und Kunst in der Poesie sich vereinigten.“

Quae sententia eo probabilior est, quod non modo spatium longum praecessisse ponit, quo poesis sensim paulatimque ad tantam perfectionem eveheretur, id quod diligentissimo cuique existimatori persuasum esse debet, sed eam etiam hypothesin supervacaneam reddit, hujus formae pulchritudinis magnam partem grammaticorum et criticorum operae esse tribuendam. Nam grammatici aevi Alexandrini elegantissimi et multifaria doctrina instructi licet carmina Homerica castigare et laevigare studuerint, tamen ne pristina eorum facies deleretur, quorundam grammaticorum maximeque Aristarchi studia religiosa prohibuerunt.

Sed haec hactenus de finibus naturae et artis in carminibns Homericis. Jam vero, priusquam ad singula explicanda transeam, notum illud, quod certe ad rectum de Homero judicium multum confert imprimisque ad quaestionem nostram permagni est momenti commemoro, carmina epica antiquissimis temporibus non lecta, verum audita esse a populo eoque sagacissimo, quorum aures teretes et religiosas fuisse constat, rhapsodos autem, ut pulchritudinem in iis reconditam bene exprimerent, summam dedisse operam. Atque etiamnunc (obiter sit dictum) divinam poesis Homericae vim ac suavitatem optime percipiet, qui declamatam audiverit.

DE ONOMATOPOEÏA.

Imitationem sono effectam poesi nativae maxime consentaneam esse quoniam supra demonstravimus, in Homero summam mereri admirationem liquet. Quod vero pertinet ad quaestionem, quum jam supra attigimus, quantum hac in re naturae, quantum arti tribuendum sit, Homerum subsidiis ex ipsa linguae natura petitis singulari quadam arte hanc imitationem excoluisse existimo. Linguae enim indolem poeta vel auctor optimus quisque argute perspiciens ita verba deligit orationemque struit, ut perspicuitas[1]) illa existat, quae efficit, ut res ipsis oculis videre nobis videamur. Ita *φύσις* per *θέσιν* suppletur, ita persona *ὀνοματοθέτου*[2]) existit, poetae nimirum aliique scriptores ingeniosi linguae formatores et artifices hoc modo evadunt. Sed hanc, quae ad linguae philosophiam spectat, quaestionem copiosa disceptatione expedire quum non sit ex instituto nostro, veniamus jam ad onomatopoeïam, quam in poesi nativa haud paulum ad *ἐνάργειαν* illam efficiendam conferre nemo non adstipulabitur.

Priusquam vero onomatopoeïam in carminibus Homericis ostendendam aggrediar, veterum et recentiorum de ejus notione sententiis examinatis quam ipse ei notionem addam, paucis exponam. Eustathius Il. p. 39

[1]) Quod Plutarchus (de glor. Athen. c. 3) de Thucydide praedicat: *ὁ Θουκυδίδης ἀεὶ τῷ λόγῳ πρὸς ταύτην ἁμιλλᾶται τὴν ἐνάργειαν οἷον θεατὴν ποιῆσαι τὸν ἀκροατὴν*, id non minus in Homerum quadrare nemo non concedet.

[2]) Notissimi hi termini sunt e Platonis Cratylo.

ita definit: *ὀνοματοποιΐα ἐστὶ μίμησις λεκτικὴ ποιότητος ἤχου· συνηρίθμηται δὲ τοῖς ποιητικοῖς τρόποις.* Cujus explicationis priorem partem non satis amplam esse mox videbimus, posteriorem vero plane falsam[1]) esse pluribus demonstrare vix opus est, quum tropis cum linguae origine et elementis minime res sit, contra onomatopoeïa arctissime cum iis cohaereat, id quod jam ex iis, quae supra diximus, apparet et clarius etiam ex iis, quae paulo inferius disserentur, elucebit. Eundem in errorem, ut in troporum numero habeant onomatopoeïam, incidunt rhetores Graeci recentiores[2]) quorum definitiones, quippe quae nihil memorabile exhibeant, non est cur diligentius sub examen vocemus.

Recte, si quid video, Dionysius Halicarnassensis hac de re judicavit, qui non verba tantum singula onomatopoetica, quae sonum aliquem reddunt naturalem respicit, sed in linguae elementa inquirens constructionem et dispositionem litterarum et syllabarum ad imitationem illam maximum valere contendit: *ὥστε πολλὴ ἀνάγκη, ὀνομάτων τε καὶ συλλαβῶν καὶ γραμμάτων τάς τε κατὰ μέρος ἐν τούτοις διαφορὰς, καθ' ἃς δηλοῦται τά τε ἤθη, καὶ τὰ πάθη, καὶ αἱ διαθέσεις, καὶ*

1) Hoc jam vidit Gerh. Vossius Instit. Orat. lib. IV p. 241, qui multos, inquit, vulgo recensent tropos, qui troporum numero non sunt inserendi, cujusmodi sunt *ὀνοματοποιΐα* etc.

2) Vid. Gregorium Corinthium *περὶ τρόπων* Rhet. Graeci ed. Walz vol. VIII p. 778. Anon. *περὶ τρ.* ibid. p. 728. Cocondrium *π. τρ.* ibid. p. 783. Georgium Subulcum *π. τρ.* ibid. p. 810. Ex quibus Cocondrius *πάθους* saltem onomatopoeïa repraesentati mentionem facit, ceteri nihil habent, cur in iis immoremur.

τὰ ἔργα τῶν προςώπων καὶ τὰ συνεδρεύοντα τούτοις, ἀπὸ τῆς πρώτης κατασκευῆς τῶν γραμμάτων γίνεσθαι τοιαῦτα[1]).

Atque ob hoc ipsum, quia imitationem illam latiore ambitu acceptam voluit, Dionysius verbo „*ὀνοματοποιΐα*“, quod certe novit, quippe quod jam Ciceroni notum sit, consulto non usus esse mihi videtur. *Ὀνοματοποιΐα* enim vox, quam Cicero „fabricatio verborum“, Quinctilianus „fictio verborum“ interpretantur, quum proprie ad singula tantum verba spectet nec jam imitationem illam prae se ferat, Dionysius imitantia verba *οἰκεῖα καὶ δηλωτικὰ τῶν ὑποκειμένων ὀνόματα*[2]) appellare maluit et ad fontem, unde derivanda sunt, ad connexionem nimirum litterarum et syllabarum ea revocavit. Atque harum vocum imitantium quae auctores ipsi confinxerint, quae ab aliis conficta acceperint, quae ex usu vulgari sibi assumpserint, semper difficillimum est dijudicatu, apud Homerum autem, quia scriptores aequales, quibuscum comparare eum possimus, non exstant, certa ratione plane destituti sumus. Nec vero haec quaestio permagni momenti est, longe majoris, num poeta linguae vim atque indolem argute perspi-

1) de comp. verb. c. XVI p. 198 ed. Schaefer. cf. p. 196.

2) Comprobatur quam fero sententia eo quod idem Dionysius de Thuc. jud. c. 24 Thucydidi *τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων* assignat, in animo scilicet habens, eum libere, ut optimo cuique auctori concessum esse debet, novis atque inauditis verbis uti vel usitatis novam quandam, semper tamen opportunam addere notionem. Nam de onomatopoeïa eo sensu, quem rhetores veteres ei indiderunt, in Thucydide cogitandum esse quis est, qui contendat?

ciens litteras syllabas verba ita delegerit et disposuerit, ut rerum quasi picturae existerent. Qua quidem ampliore notione onomatopoeïa (vocem vero, quamvis modo impugnaverim, brevitatis causa servare mihi liceat) ad fontem suum revocata rectiorem, si quid video, existimationem nanciscitur et suo loco reponitur.

Quaerentibus vero nobis hoc imitandi studium unde derivandum sit perapte respondet Dionysius: *Μεγάλη τούτων ἀρχὴ καὶ διδάσκαλος ἡ φύσις ἡ ποιοῦσα μιμητικοὺς ἡμᾶς καὶ θετικοὺς τῶν ὀνομάτων, οἷς δηλοῦται τὰ πράγματα, κατὰ τινας εὐλόγους καὶ κινητικὰς τῆς διανοίας ὁμοιότητας*[1]). Et paulo infra ambitum rerum, quae hoc modo repraesentari possunt, recte amplissimum reddit hisce: *τὰ μὲν φωνῆς μιμητικὰ, τὰ δὲ μορφῆς, τὰ δὲ ἔργου, τὰ δὲ πάθους, τὰ δὲ κινήσεως, τὰ δὲ ἠρεμίας, τὰ δὲ ἄλλου χρήματος ὁτουδήποτε.* Comprobatis igitur Dionysii de imitatione onomatopoetica animadversionibus, ut obiter in Latinam quoque linguam oculos conjiciamus, quid de ea Quinctilianus judex harum rerum alioquin haud contemnendus statuendum censuerit, attulisse non pigebit. „*Ὀνοματοποιΐα,* inquit, id est fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur[2]).“ Ac graviore etiam negatione docet (ibid. I, 5): „Minime nobis concessa est *ὀνοματοποιΐα.* Quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis *λίγξε βιὸς* et *σίζ' ὀφθαλμός* fingere

---

[1]) de comp. verb. cap. XVI p. 194. Imitationem omnino natura nobis insitam esse docet magnus Stagirites: *τὸ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστίν* (poet. c. IV).

[2]) Instit. Orat. VIII, 6.

audeamus?“ Clare jam ex versione vocis onomatopoeïae patet, finibus, si quid explicationi nostrae tribuendum est, nimis arctis eam concludere Quinctilianum. Sed de hac quidem re modo exposuimus, omnino autem Quinctilianus a recta linguae Latinae existimatione aberrasse mihi videtur, permulta enim in ea, qui diligentius perscrutatus erit, verba inveniet, quae rerum naturam optime depingunt. Namque ut e. g. quaedam afferam, in verbis mugire, hinnire, stridere, strepere, murmur, clangor, susurrus, imitationem soni naturalis talem, qualis occurrit in *λίγξε βιός* et *σίζ' ὀφθαλμὸς,* quis est, qui non videat? Neque in hoc primo gradu substiterunt Romani, sed arte etiam eorum poetae excoluerunt onomatopoeïam imprimisque Virgilius, qui, quamvis multo minore cum fructu quam Homerus, permultis tamen locis versuum sonum argumento aptare studuit. Ita e. g. Ennii rudem atque incomptam imitationem:

„At tuba terribili sonitu taratantara dixit“

longe subtilius reddidit hoc versu:

„At tuba terribilem sonitum procul aere canoro Increpuit.“

Adde Ovidii illud notissimum:

„Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant[1])“

in quo etsi nullum inest verbum per se onomatopoeticum, tamen ranas coaxantes audire nobis videmur. Quod certe longe majore admiratione est dignum, quam Aristophaneum *βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ.*

---

[1]) Metam. VI, 376. cf. Hor. Sat. II, 8, 78. Epist. I, 10, 20. 21.

Quamquam hoc quidem Quinctiliano concedere possumus, fingere nomina ad ipsam rerum naturam exprimendam apta Graecis magis quam Romanis licuisse, majore enim quum essent animi volubilitate, in lingua tractanda et formanda multo erant liberiores.

Sed redeat oratio ad propositum. Priusquam vero ad singula exempla examinanda transeamus, recentioris etiam viri docti de onomatopoeïa sententiam hoc loco afferre liceat. Roedigerus[1]) de ea sic disputat: „Es bezeichnet dieses Streben die erste und niedrigste Stufe der Sprache, wo sie in naiver Natürlichkeit sich den ersten sinnlichen, von aufsen her kommenden Reizen und Neigungen hingiebt, und fast noch nichts weiter thut, als was sie ihrem Wesen nach vorerst und nothwendig thun mufs, dafs sie nämlich den vernommenen unarticulirten Naturlauten das ihrem Organismus entsprechende Gegenbild schafft und gegenüberstellt, oder jene in articulirter Weise reproducirt. Die Producte der Onomatopoeie machen an sich nur den schlechtesten und unbedeutendsten Theil der Sprache aus, sie geben, wenn man sie als noch nicht von der Macht des Geistes bewältigt und durchdrungen denkt, ein rohes, aller Ausbildung noch lediges Material, den form- und farblosen Stoff des organischen Sprachbau's." Minime haec mihi probari posse quum jam ex iis, quae supra disserui,

[1]) Encyclop. univers. ab Erschio et Grubero ed. s. v. — Aegre fero, quod recentiorum virorum doctorum disiectas tantum de onomatopoeïa animadversiones reperi; Gottholdii et Rosenhaynii, quos de ea copiosius exposuisse comperi, dissertationes quamvis multa opera data inspicere non potui.

consequatur, diligentiori inquisitione supersedeo. Facere autem non possum quin omnes, qui tam arctis vinculis onomatopoeïam comprehendant, ejus et fontem primarium et indolem satis argute perspexisse negem. Ac vereor quidem, ne nimis audacter hoc dixisse videar, verumtamen, quum quanti sit momenti onomatopoeïa, si ampliorem ei notionem addamus, ad linguae philosophiam et etymologiam mecum reputem, talem sententiam ferre audeo. Onomatopoeïa enim, si latiorem ejus, quem proposuimus ambitum accipimus, ad contemplationem linguae philosopham tantum valet, quia in ea imitatio, quae ipsam debet aperire rerum naturam, non jam evanuit, ad etymologiam vero ideo quod, nisi litterarum et syllabarum vim atque indolem perpendimus, recte de verborum radicibus judicare non possumus.

Jam vero, quoniam de onomatopoeïae notione praefati sumus, Homerus quantopere hac in re excellat, exemplis demonstrabimus. Ac primum quidem, ut sententiam modo latam comprobem, de iis locis dicam, quibus continua quadam imitatione poeta usus imagines rerum clarissimas efficit, neque id per singula verba tantum sonum apte reddentia, sed etiam connexione litterarum et syllabarum argumento congrua.

Illius generis jam est imprimis maris descriptio, diligentissimo enim cuique lectori poetas Homericos, ut maris species magnificas hoc modo repraesentarent summam dedisse operam primo obtutu apparebit. Neque fortuito id accidisse putandum est: sicut enim in Shakespeario, qui natus in Britannia undique mari circumdata saepissime aestus in litore ferventis impetum et

undarum fluctuantium magnificentiam conspexerat ventorumque strepitum audierat, imaginum et parabolarum a mari sumptarum majestatem admiramur, ita in Homericis carminibus, qui populo maris amantissimo canebantur, eodem maris studio delectamur. Unde facile intelligi potest, imitando compositione versuum maris conspectui grandi et sono vasto poetam studuisse. Quis enim legendo clarissimum illum versum:

ἐν δέ τε πολλὰ
κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
(Il. XIII, 798)

maris ventis excitati strepitum atque undas longe lateque ruentes praeclare describi non sentiat? Quem ad locum Eustathius bene observat: *ἐπίτηδες τραχυφωνεῖται ὁμοίως τῇ ὅλῃ παραβολῇ, περὶ ἧς φασὶν οἱ παλαιοὶ ὅτι τε φύσιν κυμάτων ἐνδείκνυται, ἃ ὑπὸ ἀνέμοις ἐγείρεται, καὶ τῇ τῶν λέξεων τραχύτητι τὸν ἦχον μιμεῖται· κοσμεῖ δέ φασιν αὐτὴν καὶ τὰ ὁμοιοκατάληκτα, τὸ πολλὰ κτλ.* Quibus hoc tantum adjiciam, non parvam esse vim eminentis hoc versu[1]) litterae *α*, de qua G. J. Vossius in libello de poematum cantu bene observat: „Quam vastam et sonoram haec littera edat vocem, vel ipse hiatus declarat. Suavitate fere destituitur, sed magnificentia aures propemodum percellit, semper grande et vastum quid sonat[2])."

[1]) cf. Il. XV, 378. XVI, 776.

[2]) Unde explicandum est, hanc litteram in Dorica dialecto, qua homines austeris moribus praediti uterentur, esse tam frequentem atque summopere nos ea in carminibus lyricis severioribus delectari.

Longe diversa ab hac alti maris excitati descriptione est onomatopoeïa ad aestus litoris depingenda adhibita, cui magis etiam convenit illud *τραχυφωνεῖται*. In talibus enim versibus littera *ϱ* asperrima[1]) frequenter posita dictio exasperatur, ut in hoc:

ῥόχθει γὰρ μέγα κῦμα ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο
(Od. V, 402)

quo versu saepissime pronunciato Demosthenes balbutiem suam superasse traditur. Praestantissimum vero, si quid video, hoc ex genere exemplum exstat Il. XVII, 264:

βέβρυχεν μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι
ἠϊόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Quam imitationem maximeque *τὸ βοόωσι* summa laude dignam esse cum jam veteres intelligerent, fabula exstitit Solonem (alii Platonem dicunt) qui Homerum imitari studeret, quum ad hunc versum pervenisset, admiratum eximiam naturae picturam sua, ne nimis inferior Homero videretur, carmina concremasse (vid. Schol. et Eustath. ad h. l.). Atque huic fabulae utrum fidem habeas necne, parum refert, certe in ea voci *βοόωσι* ad fluctus marinos scopulis illisos pelagique murmur describendum maximam inesse efficaciam sententia recondita est. Quod ut clarius intelligatur, aliam vocem substituit Aristoteles (Poet. c. 22): *ἠϊόνες κράζουσι,* quae longe ineptior, quin etiam esset absurda.

[1]) Dion. Hal. de comp. verb. c. XIV p. 170: *τραχύνει δὲ τὸ ϱ καὶ ἔστι τῶν ὁμογενῶν γενναιότατον.* cf. Plat. Ctratyl. 426 *C*: *τὸ ϱ ἔμοιγε φαίνεται ὥσπερ ὄργανον εἶναι τῆς κινήσεως.* 426 *E*: *ἑώρα γὰρ οἶμαι (ὁ τὸ ὀνόματα τιθέμενος) τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ ἥκιστα μένουσαν, μάλιστα δὲ σειομένην.*

Memorabiles hoc ex numero etiam hi versus sunt:

χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην
(Il. IV, 425)

et: *αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος*
(Il. 2, 210)

in quo non modo verba onomatopoetica *βρέμεται* et *σμαραγεῖ* aptissima sunt, sed parechesi[1]) etiam, quae existit vocabulis *αἰγιαλῷ* et *μεγάλῳ* juxta positis, sonitus undarum in litore fractarum reciprocus egregie repraesentatur. Ceterum videndus ad utrumque locum Eustathius, qui talibus argumentis densatam litteram ϱ optime convenire jure affirmat[2]). Nec vero sola littera ϱ dictio exasperatur, sed *τραχυφωνία* illa etiam aliis litteris robustioribus, quorum in numero imprimis aspiratae habendae sunt, existere potest. Sed vis earum multis locis compositione demum clare elucet, densa nimirum earum collocatione si concursus fit syllabarum, quales *ἰσχυρὰς καὶ ἀντιτύπους* vocat Dionysius Halicarnassensis[3]). Itaque fieri potest, ut verba, quae per se nihil habeant significationis onomatopoeticae, multum tamen conferant ad rerum naturam aptissime describendam. Hoc modo fluviorum hibernorum in ean-

---

[1]) cf. *μεγάλῳ πατάγῳ* Il. XXI, 9, 387 *μεγάλω ἀλαλήτῳ* Il. 12, 138 et saepius.

[2]) Sic certamen de Sarpedonis corpore exacerbatum optime depingitur versu:
τῶν δ' ὥστε δρυτόμων ἀνδρῶν ὀρυμαγδὸς ὀρώρει (Il. XVI, 633)
cf. Il. III, 363, Od. 9, 71.

[3]) de comp. verb. sect. XVI p. 206.

dem vallem aquas praecipites conjicientium concursus praeclare describitur Il. IV, 452 seq.:

ὡς δ' ὅτε χείμαρροι πόταμοι κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ
κρουνῶν ἐκ μεγάλων, κοίλης ἔντοσθε χαράδρης
τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν·

In quibus, quamvis verba per se onomatopoetica pauca sint, quem latet vis densatae litterae ϱ et syllabarum prolatu asperrimarum? Ac postremo versu egregie ad sonum in verbo *δοῦπον* fuscum resonat sequens *οὔρεσιν*.

Simili modo totae comparationes splendore onomatopoetico nitent Il. II, 210 seq. IV, 422 seq. XVI, 633 seq.

In talibus quidem locis quaestio existere possit, utrum poeta rem, quam parabole illustrandam curaret, an eam, cum qua compararet, onomatopoetice ut ita dicam depingere studuerit. Quam equidem ita solvendam esse duco, ut summam poetae laudem esse tribuendam putem, quod ad tertium quod dicitur comparationis artificiosa compositione ultro auribus nostris adducamur. Obiter vero, quoniam modo ex quarta Iliadis rhapsodia duo continuae imitationis praestantissima exempla attuli, moneo praecellere eam ceteras onomatopoeïa frequenter et summo cum fructu adhibita.

Sed nolo diutius animadversionibus subsecivis immorari. Redeat igitur, unde digressa est oratio, ad explicandum, quanti singulae litterae sint momenti ad imitationem onomatopoeticam. Atque litterarum, quae exasperandae dictioni inserviunt, primum quidem locum tenere litteram ϱ robustissimam supra vidimus, secundum, si quid video, tenet littera χ, quae quum nonnisi

gravi spiritu pronuntiari possit, ad durum et vastum quodvis describendum est aptissima. Quod perspicuum erit ex hisce:

Ἠ ῥα, καὶ ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε
δεινὸν δ᾽ ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν ἄνακτος
(Il. IV, 419)

et *ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ*
(Il. XII, 396).

In quibus, quamquam praeter verbum *ἔβραχε* (cui plane respondet nostrum „krachen" nullum ad imitandum sonum fictum est, tamen repetitionem aspiratae *χ*[1]), quae tam vehementer aures percellat, permultum ad exasperandum sonum conferre neminem fugiet[2]). Memorabilis, utpote in quo eximie conspiciatur vis litterae *χ*, etiam locus est, qui exstat Il. IV, 526:

ἐκ δ᾽ ἄρα πᾶσαι
χύντο χαμαὶ χολάδες·

tristis scilicet aspectus viscerum e ventre prolabentium hoc compositionis artificio quasi ob oculos nobis versatur. Affectus igitur, jam non sonos tantum hoc modo expressos videmus.

Proxima litterae *χ*, si exasperandam dictionem respicimus, est littera *κ*, difficilis enim quum ad pronuntiandum sit, saepius repetita vastum quendam trucemque sonum edit, quod in hoc observare licet:

σμερδαλέος δ᾽ αὐτῇσι φάνη κεκακωμένος ἅλμῃ·

---

[1]) cf. Od. IX, 71. Il. III, 363.

[2]) Neque omittenda est in his versibus, quam ad priorem memorat Eustathius litterae *α* *εὐρυφωνία*.

Cujus versus mentionem facit Dionysius Halicarnassenis[1]) sic praefatus:

Ὅταν δὲ οἰκτρὰν, ἢ φοβερὰν, ἢ ἀγέρωχον ὄψιν εἰςάγῃ, τῶν τε φωνηέντων οὐ τὰ κράτιστα θήσει, ἀλλὰ τῶν ψοφοειδῶν, ἢ ἀφώνων τὰ δυς, ἐκφορώτατα λήψεται, καὶ καταπυκνώσει τούτοις τὰς συλλαβὰς, οἷά ἐστι ταυτί·

Σμερδαλέος δ᾽ αὐτῇσι κτλ. — καὶ
Τῇ[2]) *δ᾽ ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο*
Δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ Δεῖμος τε Φόβος τε.

Et vero Ulixis aqua marina deformati atque Medusae formidolosae horrendus aspectus egregie hoc modo repraesentatur. Eandem sub rationem cadit versus, qui exstat Od. XX, 353:

οἰμωγὴ δὲ δέδηε δεδάκρυνται δὲ παρειαί.

Atque hanc ejusdem litterae crebram repetitionem, quae eo sensibilior est, quod in initiis imprimis fit verborum, ut a poeta non temere factam, sed ad affectus exprimendos mira quadam sagacitate adhibitam esse videamus, locos insuper nonnullos sub examen vocemus. Agamemno in Ulixem, qui dum alii manus conserunt, otiosus stat, sic invehitur:

καὶ σὺ, κακοῖσι δόλοισι κεκασμένε κερδαλεόφρον.

Egregie poetae naturae humanae indolem perspexit, iniquo enim animo[3]) si quis verba effundit, ita loqui solet. Atque eadem fere affectio hoc compositionis arti-

---

[1]) de comp. verb. sect. XVI p. 206.

[2]) Il. XI, 36.

[3]) Eadem animi affectione Oedipus Tiresiam objurgat: *τυφλὸς τά τ᾽ ὦτα τόν τε νοῦν τά τ᾽ ὄμματ᾽ εἶ.* Oed. Rex 366.

ficio repraesentatur, quum Juno Trojanis magnopere succensens et indignata insuper, quod Argivis se opem non laturam esse jurejurando adstricta sit, dialogum cum Neptuno institutum concludit hisce verbis:

μηδ᾽ ὁπότ᾽ ἂν Τροίη μαλερῷ πυρὶ πᾶσα δάηται
(Il. XX, 316)
δαιομένη, δαίωσι δ᾽ Ἀρήϊοι υἷες Ἀχαιῶν.

Pondus enim, quod verbum *δαίω* deinceps usurpatum orationi addit, valde augetur ipsa allitteratione, quae egregie quadrat ad Junonis invidiam vix ac ne vix quidem dissimulatam. Causam vero, cur excitati et irati hominis sermoni haec forma tam apte conveniat, in eo positam esse duco, quod una eademque littera saepius repetita omnino cum vi ac gravitate aliquid pronuntiari aures illico sentiunt. Quae quum ita sint, alias quoque affectiones, quae sub hanc generalem rationem cadant, hoc modo depingi posse patet. Ita Minerva Ulixis fortunam miserata, ut Jovem in eandem misericordiam adducat, graviter sic verba facit:

ἀλλά μοι ἀμφ᾽ Ὀδυσῆϊ δαΐφρονι δαίεται ἦτορ
δυσμόρῳ, ὃς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει.
(Od. I, 48).

Et nescio an perinde explicandus sit versus, qui ancedit:

καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ.

In mentem mihi venit hoc loco, quum de repetitione ejusdem litterae disputaverim, singularis quidam locus, quo poeta, *δέησιν,* ut verbis utar Dionysii Halicarnassensis[1]) *ἐνδείξασθαι βουλόμενος πολλὴν καὶ κατεσπου-*

---

[1]) de comp. verb. XV p. 188.

δασμένην, miro cum fructu praepositionem *πρό* duplicavit:

οὐδ᾽ εἴ κεν μάλα πολλὰ πάθοι ἑκάεργος Ἀπόλλων
προπροκυλινδόμενος πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο
(Il. XXII, 220).

Quod quidem in numero eorum vocabulorum habendum est, quae poetam neque ab aliis accepisse, neque ex usu vulgari desumpsisse, quamvis testibus careamus, sine ulla dubitatione affirmare possumus. Quam prospere vero Homerus hanc vocem finxerit, ut clarius appareat, Apollonium comparemus, qui eandem compositionem, Homerum nimirum imitatus, bis adhibuit:

Argonaut. I, 385: *ἐπὶ δ᾽ ἐῤῥώσαντο πόδεσσιν*
προπροβιαζόμενοι· ἡ δ᾽ ἕσπετο Πηλιὰς Ἀργώ.
et II, 596: *ἡ δ᾽ ἄφαρ, ὥστε κύλινδρος, ἐπέτρεχε κύ-*
ματι λαυρῷ
προπροκαταΐγδην κοίλης ἁλύς.

At affectum in iis excitari quis est qui contendat?

Sed jam revertamur, unde digressi sumus, ad exponendum, quantum singulae litterae valeant ad onomatopoeïam. Vis litterae *κ*, quam supra in verbo *κεκακωμένος* animadverteramus, in his quoque elucet versibus (Od. X, 122):

ἄφαρ δὲ κακὸς κόναβος κατὰ νῆας ὀρώρει
et *ἵν᾽ ὑπὲκ κακότητα φύγοιμεν* (Od. X, 129)

quorum priori sonus tantum truculentus redditur, posterior autem jam affectum invehit, vehemens enim inter voces *ὑπὲκ* et *κακότητα* renisus, quo *κακοφωνία* quaesita existit, magnam habet efficaciam ad saevitiam cladis a Laestrygonibus illatae exprimendam.

Ex hac litterae κ vi explicandum est, multa verba sonum vastum per onomatopoeïam reddentia ab ea incipere, ut καναχέω, καρκαίρω, κτυπέω, κοναβέω, καγχάζω, καγχαλάω, κράζω, κρίζω, κλάζω, κλύζω etc. Sed haec hactenus de littera κ. Sequitur ut de littera σ paucis exponam, qua, quamvis sibilus ejus ingratus generaliter et insuavis sit auribus[1]), tamen quibusdam locis apte usus poeta optime rerum naturam descripsisse mihi videtur. Quam sententiam ut feram, movet me imprimis maris, quod saepius occurrit, epitheton ἠχήεσσα, non enim η tantum duplex, et qui semper hoc verbo a poeta adhibito existit versus spondaicus significantem quandam vim habent, sed sibilum quoque, quem in θάλασσά τε ἠχήεσσα audimus, eximie maris naturae respondere existimo. Sonus scilicet, quem undae in alto mari se praecipitantes et alia in aliam ruentes edunt, aptissime repraesentatur. Sub eandem igitur rationem cadit atque κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, quae alti maris descriptio quantum distet ab aestu in litore fluctuanti jam supra monitum est. Ceterum insignis, quo hoc discrimen conspiciatur, locus est, quem jam supra laudavi Il. II, 209 seq. ubi undae primum cursu magnifico ruentes, tum ingenti strepitu in ripa saxosa fractae ante oculos nostros ponuntur. Ac vereor quidem, ne talis interpretatio quaesitior multis videatur, nihilo tamen secius, quum poetam nativa, quae naturae proprietates conciperet, indole praeditum ei imitandae studuisse per-

[1]) Dion. Hal. de comp. verb. c. XIV p. 170: ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ σ, καὶ εἰ πλεονάσμε, σφύδρα λυπεῖ.

suasum mihi habeam, exhibere eam audeo. Summa vero subtilitate Homerum subauscultando maris sonos excepisse ut clarius etiam pateat, insuper verbum κλύζειν afferam, quod ad aquam ripam lambentem egregie aptum est (nos vernacule klitschen, klitschern) nec minus convenit sono, qui saxo in undas injecto efficitur (Od. IX, 484, 541). Atque in transcursu de noto illo versu: ἐκλύσθη δὲ θάλασσα ποτὶ κλισίας τε νέας τε (Il. XIV, 392), qui a multis interpretibus in miraculis Homericis est habitus, quid statuendum esse ducam explicare mihi liceat. De sono tantum ad tabernacula et naves pervenienti locus accipiendus esse mihi videtur, opponit enim ei poeta sequenti versu: οἱ δὲ ξύνισαν μεγάλῳ ἀλαλητῷ, quem clamorem tam vastum praedicat, ut neque litoris aestus, neque flammae fragor, nec venti strepitus eum exaequare possit. Hoc igitur vates summa vi poetica expressit, tanto clamore et ululatu Argivos et Trojanos manus conseruisse, ut maris vicini sonitus exaudiri non posset. Minime autem negligenda est densata hoc versu littera σ, quae summam habet efficaciam ad cottabum aquae exprimendum.

Quoniam igitur, quae consonantes litterae ad dictionem exasperandam vel austeram et magnificam reddendam conferant explicavimus, nunc de vocalibus quoque, quae eo tendunt, dicendum est. Ac primum quidem in iis locum tenere litteram α longe sonantissimam quum jam supra quibusdam exemplis probaverim, hoc loco de ceteris, quae in hanc rationem cadunt, ω, ο, υ pauca in medium proferam. Quae litterae cum vocem edant obscuram atque obtusam, aptissime ab Homero ad vasta

aut horrenda argumenta describenda usurpantur. Inter summas igitur ei virtutes habendum est, quod noctem in tempestate subito irrumpentem depingit verbis: *ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ* et pugnae tumultum: *πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει.* Atque Irus petulans simulataque ferocia ignaviam occultans meliusne repraesentari potest, quam praeclaro illo versu:

ὢ πόποι, ὡς ὁ μολοβρὸς ἐπιτροχάδην ἀγορεύει,

in quo sonus truculentus littera *ο* densata[1]) effectus egregie convenit mendico magniloquo.

Tum eximio cum fructu poeta, ut auditorum animos in conversionem sortis ob implacabilem Neptuni iram Ulixi instantem converteret, frequenti littera *ω*[2]) usus esse mihi videtur (Od. V, 282 seq.):

Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων
τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν· εἴσατο γάρ οἱ
πόντον ἐπιπλώων· ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον.

Denique ne tales quidem compositiones, quales: *βέβρυχεν μέγα κῦμα* (Il. XVII, 264) et *μέγα κῦμα κυλίνδων* (Od. V, 296) et *κῦμα δ' ὄπισθεν πορφύρεον μέγα θῦε πολυφλοίσβοιο θαλάσσης* (Od. XIII, 85) temere a poeta factas esse puto, sed consulto eum hoc modo sonum vastum amplificasse mihi persuasum est.

Jam liquet ex iis, quae attuli, Homerum hac quoque ex parte singulari compositionis artificio et sonos naturales perapte reddere, et omnino audientium ani-

[1]) cf. quae supra ad *βοόωσι* annotavimus.

[2]) Quantum valeat littera *ω*, etiam magnifico illo versu, qui saepius occurit, elucet:

Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

mos ita afficere, ut sono perculsi ad rectam existimationem statim perducantur.

Explicatum adhuc de onomatopoeïa, quae fit consonantibus asperis, syllabis robustis et sono durioribus, vocalibus plenum vastumque sonantibus, nunc quomodo vates dictionem deleniverit atque onomatopoeïam suaviter fluentem effinxerit, breviter exponendum est. Optime rem perspexit Dionysius Halicarnassenis[1]): *χρήσεται (Ὅμηρος) τῶν φωνηέντων τοῖς κρατίστοις, καὶ τῶν ἡμιφώνων τοῖς μαλακωτάτοις, καὶ οὐ καταπυκνώσει τοῖς ἀφώνοις τὰς συλλαβὰς, οὐδὲ συγκόψει τοὺς ἤχους παρατιθεὶς ἀλλήλοις τὰ δυςέκφορα, πρᾳεῖαν δέ τινα ποιήσει τὴν ἁρμονίαν τῶν γραμμάτων καὶ ῥέουσαν ἀλύπως διὰ τῆς ἀκοῆς.* Quae vero sint, quas Dionysius memorat, vocalium optimae et semivocalium, jam ex contemplatione earum, quas supra tractavi, litterarum perspicuum erit, ipsa enim litterarum pronunciatio[2]) alias asperas et robustas, alias molles tenuesque reddit. Ac de hac quidem compositione, quae generi illi polito floridoque[3]) convenit, accuratius disserere non ita necessarium existimo, quia multo rarius in ea inest imitationis propriae elementum, nec, si inest, tam clare se offert auribus nostris, quam in iis, quae supra tractavi. Duo igitur praestantissima exempla afferre sufficiat:

[1]) de comp. verb. c. XVI p. 204.

[2]) A qua profectus Dion. c. XIV singularum litterarum indolem examinavit.

[3]) *γλαφυρὰ καὶ ἀνθηρὰ σύνθεσις* (Dion. Hal. de comp. verb. c. XXIII). Opponit ei austeram (c. XXII) atque Homerum felicissimo eventu utraque adhibita *κοινῆς* sive *μέσης συνθέσεως* magistrum exstitisse praedicat.

παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον (Od. XIX, 522)

et *αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισιν θέλγει* (Od. I, 56)

quorum altero lusciniae cantus, altero Calypsus blanditia aptissime repraesentantur. Maximum vero in iis, imprimisque in posteriori valere litteram *λ*[1]) nemo non videbit. Ceterum accumulatus hoc versu exitus *οισι*, quo utpote mollissimo valde delectamur, ut diphthongorum paucis mentionem faciam, me permovet, praecipue quum Dionysius, id quod satis mirari non possum, in examine litterarum eas plane negligat. Diphthongi plene sonantes, quarum frequentia lingua Graeca ante ceteras tantopere excellit, carminibus Homericis mirum quam addunt et majestatem et leporem. Atque mollissimae quidem ex iis *αι*[2]) et *οι* et *ει* esse mihi videntur, *ευ* et *αυ* jam duriorem aliquanto sonum edunt, *ου* vero obtusum et obscurum. Quamquam de hac re certum judicium ferre jam non possumus, quum de veterum pronunciatione parum constet, de qua quaestionem instituere quia ex proposito meo non est, quae mihi diphthongi cujusque natura esse videatur exposuisse sufficiat.

Jam vero, priusquam de compositionis artificio disputandi finem faciam, Hiatum quoque Homerum quibusdam locis ad imitandam naturam optime adhibuisse explanabo.

---

[1]) De hujus litterae vi Dion. Hal. d. c. v. p. 170: *ἡδύνει τὴν ἀκοὴν τὸ λ καὶ ἔστι τῶν ἡμιφώνων γλυκύτατον.* cf. Plato. Cratyl. 427*b*, 434*b*.

[2]) *ai*, non *ae* diphthongum *αι* pronunciatam volo.

Atque praestantissimus certe hoc ex numero versus, qui occurit Od. XI, 596:

λᾶαν ἄνω ὤθεσκε

in quo gravissimus hiatus renixum, gravitatem difficultatemque egregie depingit. Quae imitatio quam pulchra sit et significans Virgilius bene intelligens, ut nisum ingentem et molimen describeret, synaloephen bis negligere conatus versum fecit huncce:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam (Georg. I, 281).

In hoc quoque vocalium concursum depingentem quandam vim habere puto:

σμερδαλέα ἰάχων (Il. V, 302)

ubi imitatio verbis jam per se onomatopoeticis effecta etiam augetur hiatu. Quem ad repraesentandum clamorem summa pectoris intentione emissum peraptum esse ut putem eo adducor, quod jam hiatus, qui reperitur in ipsis verbis, qui clamorem significant (*ἰάχω, ἰΰξω, ἰωή, αὔω, βοάω*) optime naturae convenire mihi videtur.

Etiam hoc Virgilius imitatus est:

Lamentis gemituque et femineo ululatu (Aen. IV, 667).

In utroque vero loco Homerico hiatum quamvis eo, quod syllaba in vocalem desinens in arsi posita sit, magnopere deliniatur, mirificam describendi vim habere nemo non concedit.

Alii insuper apud Homerum exstant versus, in quibus fortasse vocalium concursus non temere fit, sed eos, quum nondum satis mihi de iis constet, silentio praeterire malo.

Quoniam igitur *compositionem* ad imitationem rei subjectae plurimum valere ostendimus, nunc de ipsis

verbis onomatopoeticis paucis dicendum est. Vocabula signa cogitationum earumque quasi specula esse debere, qui de lingua philosophati sunt consentiunt. At hujus imitationis primordia persequi in plerisque vocibus summa est difficultate, neque enim linguae formatores hanc legem semper observārunt, id quod maxime in iis verbis accidit, quae ab eruditione et doctrina originem ducunt, et permultae voces usu detritae in alias atque alias notiones abierunt, ut quae prima propriaque sit notio, vix dignosci possit. Permagni igitur momenti est, quod in poesi Homerica tam multa occurrunt verba, in quibus ipse sonus naturae quam maxime accomodatus primam propriamque notionem statim coarguit, ad quam cognoscendam ultro auribus nostris perducamur.

Quod imprimis evenit in vocibus, quae sonum quendam naturalem reddunt, non quo haec, quae singulis verbis fit onomatopoeïa, omnino in sonorum imitationem coercenda sit, sed in illis, quia soni naturales immutabili quadam naturae lege semper iidem manent, imitatio numquam evanescit, quod multis aliis verbis contingere supra vidimus. A vocibus igitur, quas bestiae edunt ut ordiar, taurorum mugitum, caprarum fremitum, ovium balatum, muscarum murmurationem verbis *μυκάομαι, μυκηθμός*[1]), *μηκάομαι, μηκάς, βληχή, βρομέω* optime repraesentari quis est, quin videat?

[1]) In mentem mihi venit hoc loco versus, quem priori parte memorare debebam, dico

μυκηθμοῦ τ' ἤκουσα βοῶν αὐλιζομενάων (Od. XII, 265)

in quo et spondei diducti et geminata diphthongus *ου* egregie quadrant ad describendum boum mugitum.

In quibus non vocales tantum, verum etiam consonantes[1]) ad naturam aptandas *ὁ ὀνοματοθέτης* curavit.

Longe autem majorem varietatem observare licet in imitatione vocis humanae, quippe quae animi affectus multimodos secuta modo vastum ac magnificum, modo molle ac dulce, modo fractum ac tenue sonet. Ita clamorem quasi audire nobis videmur in verbis *ἰάχω, ἰαχή, ἰωή, αὔω, ἰΰζω, βοάω,* quae quomodo inter se differant, ex ipso sono elucet. Nec minus significantes sunt voces, quae maerorem, singultum, lacrimarum effusionem exprimunt: *ὀδύρομαι, μύρομαι, ὀλοφύρομαι, οἰμώζω, οἰμωγή, ὀλολυγή, κωκύω, γοάω, γόος,* in quibus quam vim habeant litterae *ο* et *υ* mirum in modum apparet. Atque gemitum ex anxio pectore emissum quam accurate reddunt verba *ἄχνυμαι, ἄχος, ἀχέων, στενάχω, στεναχίζω, ἀκαχίζω,* litteram enim *χ* gutturalem his in vocibus singulari quadam esse significantia quivis perspiciet neque primariam notionem esse „gemitum *ach*[2]) effundere", secundariam demum „tristem esse, maerere" quemquam latebit. Ab *ἰάχω* vero eas plane diversas esse ex iis patet, quae paulo supra de hiatu in verbis clamandi annotavi. Eodem referendum puto verbum *ὀχθέω,* notio enim, quae vulgo ei additur, „indignari" secundaria quaedam mihi esse videtur. Tum eandem sub ratio-

[1]) cf. verbum *βρύχω*, quod nostro „brüllen" plane respondet atque ab Homero eadem metaphora, qua nos dicimus „die Woge brüllt" de mari usurpatur.

[2]) Angustiori etiam gutture emissus spiritus redditur verbo *ἄγχω*, unde originem ducunt Latinum „ango" et nostrum „Angst, ängstigen."

nem cadit vox *καγχαλάω*, quia in risu quoque vehementi ex intimo pectore spiritum ducimus[1]).

Contra quam suaviter fluunt verba, quae precem et misericordiam exprimunt: *λιλαίομαι, λίσσομαι, μειλίσσομαι, μειλίχιος, αἱμύλιος, ἐλεέω, ἐλεαίρω, ἐλεΐζω*, in quibus imprimis litteram *λ* significantem quandam vim habere nemo non videbit. Cantus denique amoenus meliusne repraesentari potest, quam verbis mollissimis *ἀείδω, ἀοιδή, ἀοιδιάω*? Quae quum in *ᾄδω* et *ᾠδή* contrahuntur, certe non tam suaviter aures percellunt.

Singularis quaedam imitatio iis verbis inest, in quibus consonantes initiales naturae accomodatae summam habent efficaciam ad sonum naturalem exprimendum, cujusmodi apud Homerum sunt *μύζω* (cf. nostrum „mucksen"), *πτύω, πτάρνυμι, λαφύσσω* (cf. *λάπτω, λείχω*, lambo, lingo, lappen, lecken).

Nec vero hoc loco, postquam explicatum est de imitationibus vocum auimalium et hominum, omittendae sunt aliorum sonorum imitationes, ut *κτυπέω, βροντέω* de tonitru, *παφλάζω*[2]), *φλοῖσβος, κλύζω* de aqua fluctuanti, *ἀράσσω, ἀραβέω, βρέχω, βρέμω, καναχέω, καρκαίρω, κοναβέω, κροτέω, κροταλίζω, ῥοχθέω, βομβέω, δουπέω, ὀρυμαγδὸς* de vasto atque ingenti sonitu, *τρίζω, σίζω, σχίζω, λίζω*[3]) de stridore, *κρίκε* de crepitu. Atque

1) Romani eodem modo verbum „cachinor" finxerunt, nos secundum Theocriteum illud *κιχλίζω*, quod risui summisso convenit, nostrum „kichern."

2) *παφλάζω* principio imitatio mihi esse videtur soni, quem edit aqua fervens.

3) Vis litterae *ι*, quam priori parte, quum ad continuam ono-

haec quae attuli verba onomatopoetica singillatim et diligentius examinare non ita necessarium duco, quia de singularum litterarum vi atque indole, quam si recte de verbis onomatopoeticis judicare vis, perspicias opus est, priori parte disputavimus. Hoc tantum adjiciam, in multis verbis onomatopoeticis magni esse momenti repetitionem consonantis initialis, vel potius totius primae syllabae, mutatae nimirum secundum certas linguae leges. Motus enim, ut ita dicam reciprocus vel sonus resonans in iis clare sensibus se offert. Quamquam enim haec propria onomatopoeïa non est, tamen quia huic auribus tam sensibili repetitioni propria ac significans quaedam vis certe inest huc referendam esse puto. Ita verbum *μορμύρω* murmur (en in lingua Latina eadem forma) aquae perpetuo fluentis longe melius quam simplex *μύρω* depingit, ita vocabula *μαρμαίρω* ex *μαίρω* et *δαιδάλλω* ex *δάλλω* (*δαίω, δάω*) formata splendorem undique oculis se praebentem repraesentant, ita *μερμηρίζειν* accurate significat mente aliquid ***volutare***, *παπταίνω* huc illuc oculos conjicere, *ἀκαχίζω* (proprie *ἀχαχίζω*) efficere, ut aliquis ach ach dicat[1]).

matopoeïam ab Homero non adhibeatur, non memoravi ex his verbis praeclare elucet, acutus enim eius et excitatus sonus ad talia exprimenda optime quadrat (cf. stridor, scindo, zischen, schwirren). Ceterum sonus litterae *ι* multum discrepat, prout plus minusve ad dentes alliditur. Nam si leniore spiritu eam pronuntiamus, tenuis qui efficitur sonus ad precem supplicationem, blanditiam est aptissimus, ut in *λιλαίομαι, λίσσομαι, φίλος*.

1) Eandem sub rationem cadunt verba Homerica *βαμβαίνω, βομβέω, κωκύω, κηκίω, παφλάζω* (ortum ex *φαφλάζω*), *μαιμάω*,

Obiter vero profitear, etiam reduplicationem perfecti hac ratione explicandam mihi videri, quaevis enim actio perfecta quum memoriae opera denuo quasi exhibeatur, hanc repetitionem Graecos sensibili illo modo repraesentare voluisse persuasum mihi habeo.

Sed haec hactenus de imitatione onomatopoetica, veniamus jam ad eam, quae fit rhythmo ad rem subjectam accommodato.

DE IMITATIONE RHYTHMICA.

In quavis oratione compositionem permultum valere omnes, qui de hac re disputaverunt consentiunt. Ac de numero quidem solutae orationis disserere non ex nostro est instituto, in poesi vero quam miram vim habeant rhythmus et metrum, perspicuum erit, si cujusvis poematis permanente verborum delectu compositionem mutaveris, corruent enim orationis figurae, colores, mores, affectus, tota denique poematis dignitas[1]). Quare non errant, qui structurae orationis majorem vim assignant, quam delectui verborum. Aptissime igitur suavissimeque Dionysius Halicarnassensis[2]) compositionem comparat cum Minerva Homerica: ut illa Ulixem unum eundemque hominem modo humilem sordidumque, modo

---

μέρμερος, *παμφανάω* (proprie *φαμφανάω*, minime enim iis adstipulor, qui ex *πᾶς* et *φαίνω* compositum esse putant), *ποιπνύω*.

[1]) cf. Isocr. encomion Euagorae c. 3: *ἦν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων τὰ μὲν ὀνόματα καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ, φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν.*

[2]) de comp. verb. c. IV p. 62.

splendidum formosumque efficiat, sic structuram verbis iisdem sumptis modo informes et abjectae et humiles ut videantur sententiae efficere, modo sublimes reddere et copiosas et elegantes[1]). Causam vero, cur hoc ita sit, Quinctilianus[2]) optime perspexit, qui „Eruditissimo, inquit, cuique persuasum est, valere compositionem quam plurimum non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil potest intrare in affectum, quod in *aure*, velut quodam vestibulo statim offendit, deinde quod *natura* ducimur ad modos.“

Haec igitur compositionis rhythmicae (eam enim solummodo hoc loco spectamus) recta existimatio natura plus minusve omnibus insita est, veteres vero imprimisque Graecos hac in re eximia quadam subtilitate praeditos fuisse, cum ex summa, quam in arte metrica assecuti sunt perfectione liquet, tum permultae, quae de eorum argutis auribus traduntur fabulae declarant, dico imprimis notum illud histriones, si paulum se moverent extra numerum, in frequentissimis theatris omnigena et illitterata turba plenis explosos esse atque exsibilatos. Sed id ad declamationem tantum perfectam valet, verum etiam poetas eorum, ut huic superbissimo judicio satisfacerent, enixe operam dedisse inde facile intelligi potest. Qui vero fit, ut carmen quo ad rhythmum et metrum perfectum omnibusque numeris absolutum appareat? Eo certe, ut utrumque proprium sit

---

[1]) cf. Isocr. l. c.: *Μέτρα καὶ ῥυθμοὶ τοσαύτην ἔχουσι χάριν, ὥστ᾽ ἂν καὶ τῇ λέξει καὶ τοῖς ἐνθυμήμασιν ἔχῃ κακῶς, ὅμως αὐταῖς ταῖς εὐρυθμίαις καὶ ταῖς συμμετρίαις ψυχαγωγοῦσι τοὺς ἀκούοντας.*

[3]) Instit. orat. IX, 4.

rei subjectae et accomodatum, quod si fit, imitatio et imago quasi rerum existit. Homerum[1]) vero hoc ipso artificio ante ceteros poetas fere omnes aures delinire et permulcere animosque movere omnes uno ore profitebuntur. Quod vero attinet ad quaestiones, quadretne haec imitatio ad poesin nativam, et quantum hac in re arti, quantum ipso ingenio poetico tribuendum sit, ad ea provoco, quae in universum de finibus naturae et artis sum praefatus. Id certe jam ex hac tanta perfectione colligi posse persuasum mihi est, alia carmina epica jam ante Homerica ab aliis poetis metro heroico esse composita, vix enim ac ne vix quidem credibile est, primum Graecorum opus poeticum posse compositionis metricae virtute tantopere excellere. Atque omitto quidem hoc loco veterum fabulas, quorum alii hexametri inventionem Phemonoae Delphici Apollinis sacerdoti, alii Oleni, alii Orpheo, alii Musaeo assignaverunt, haec enim nomina symbola tantum esse temporis antiquissimi apparet: hexametrum, sive ex versu paroemiaco, sive ex duabus tripodiis dactylicis eum ortum esse putamus, ab experientia aptum esse Aristoteli assentiri possumus, qui de hac re sic judicat: „*τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωϊκὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοκεν· εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο, ἀπρεπὲς ἂν φαίνοιτο· τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκω-*

[1]) vid. Dion. Hal. de comp. verb. XX, p. 274: *Ὁ ποιεῖν (μιμητικὸς γίγνεσθαι τῶν πραγμάτων) εἴωθεν ὁ δαιμονιώτατος Ὅμηρος, καίτοι μέτρον ἔχων ἓν καὶ ῥυθμοὺς ὀλίγους, ἀλλ' ὅμως ἀεί τι καινουργῶν ἐν τούτοις καὶ φιλοτεχνῶν· ὥστε μηδὲν ἡμῖν διαφέρειν γινόμενα τὰ πράγματα ἢ λεγόμενα ὁρᾶν.*

δέστατον τῶν μέτρων ἐστί[1]). Causam vero, cur hexameter ad carmina epica maxime idoneus sit et jure versus heroicus appelletur, magnam ordinum et caesurarum varietatem esse primo obtutu apparet.

Experientia igitur Homerus et natura nixus, qua ratione hexametrum excoluerit et exornaverit, nunc explicabo. Ac primum quidem, qua arte pedes duos metricos, qui in hexametro admittuntur, dactylum et spondeum ad imitationem adhibuerit, tum quantam vim apud eum habeat collocatio caesurae ostendam. Atque cavendum quidem, ne contortum putidumque studium poetae iis locis assignemus, quibus legi metricae satisfecisse ei sufficiebat. Verumtamen si quando hunc errorem non evitavero, venia mihi detur.

Dactyli in hexametro frequentius adhibiti quum celerem ac mobilem versum reddant, aptissime Homerus permultis locis totos versus ex meris dactylis componendo cum celeritatem corporis, tum iram, exacerbationem similesque earum affectiones, quae animo excitato conveniunt, egregie depinxit. Pauca proferam praestantissima exempla, quibus multorum loco uti liceat.

Cursus celeritas describitur hisce:

κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα διωκέμεν ἠδὲ φέβεσθαι
(Il. V, 223)

[1]) Poet. c. XXIV. — Generaliter de origine versus Cic. Orat. 55: Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit, ita notatio naturae peperit versum. — Idem Or. 57 dactylum numerum hexametrorum magniloquentiae accomodatum appellat.

et *ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νόμον ἵππων*[1]) (Il. XV, 268).

Ceterum bene animadvertendum est, etiam pedes vocabulorum, quos vocat Klopstockius in aureolo libello, qui inscribitur „Fragmente über Sprache und Dichtkunst", artificiose in talibus versibus esse delectos, praevalent enim in iis vocabula, quae cadunt in genus numeri trochaici, in quo inest agitatum quiddam et volubile[2]). Praeterea caesuras in iis significantes esse infra exponetur.

Etiam in notissimis illis, qui saepe occurrunt versibus:

οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο

secundum nativam illam, qua saepissime delectamur, heroicae aetatis simplicitatem celeritatem, qua heroes edendi cupidi ad cibos manus porrigebant, a poeta describi puto. Nec minus in hoc versu:

κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων
(Il. XVI, 776)

imitatio inesse mihi videtur. Auctor mihi est Eustathius (p. 1086) qui haec observat: *καὶ ὅρα τὸ τοῦ στίχου τούτου ὁλοδάκτυλον μέγεθος ἔχοντος μετρικὸν καὶ συνεπεκτεινομένου τῷ μεγαλείῳ τοῦ κειμένου καὶ συνεξομοιουμένου ὡς οἷόν τε.* Quamquam non solum *τὸ ὁλοδάκτυλον*, verum etiam annominatio *μέγας μεγαλωστί* et sequentes vocabulorum pedes magnifici ad rem imi-

[1]) cf. Il. II, 8, XXIII, 116, 764, Od. IX, 39.
[2]) Sic Marius Victorinus 2530.

tandam tam aptum reddunt versum. Ceterum, nescio qua de causa, neque Eustathius neque scholiastae frequenter compositionis metricae rhythmicaeque pulchritudinem respiciunt.

Postremo clarissimum hoc ex genere versum afferam, qui exstat Od. XI, 598:

αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής

cujus artificiosam compositionem postquam disertis verbis[1]) laudavit, subtiliter ac diligenter exponit Dion. Hal. Verum non modo corporis, sed etiam animi motus hoc modo aptissime depinguntur, animi scilicet ira vel alio quodam vehementi affectu excitati. Sic in oratione Agamemnonis Chrysae filiam redempturo graviter succensentis ultimi tres versus (Il. I, 30—32) ex meris dactylis constant. Tum Nestor, quamvis „gravis annis", animum tamen juvenilem spirans Argivorum duces ad pugnam hortatur his verbis: *ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα* (Il. II, 440). Tum Trojanorum et Argivorum pugnantium exacerbatio optime describitur versu: *ἀσπὶς ἄρ ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ* (Il. XIII, 131). Sed cum omnes hujusmodi versus singillatim explicare longum sit, nonnullos locos apponam, qui apte cum his conferri possunt: Il. XVII, 425, Od. XVI, 102, XVII, 476, XVIII, 26, XXII, 35. Ac cetera quidem versus schemata, quae existunt dactylis et spondeis intermixtis, singillatim examinare non ita necessarium puto, quia in iis imitatio plerumque non tam

[1]) de c. v. XX p. 280 seq. *οὐχὶ συγκατακεκύλισται τῷ βάρει τῆς πέτρας ἡ τῶν ὀνομάτων σύνθεσις, μᾶλλον δὲ ἔφθακε τὴν τοῦ λίθου φορὰν τὸ τῆς ἀπαγγελίας τάχος;*

manifesta est, nedum omnino in quoque versu imitationem rhythmicam inesse existimandum sit.

Nunc vero ***spondeus*** alter pes metricus in carmine heroico admissus quomodo a poeta ad describendam rerum naturam adhibitus sit, explicandum est. Spondei vis jam ex ipsa pronuntiatione statim elucet, stabiliorem nimirum et graviorem et angustiorem[1]) eum reddere orationem, qui duas syllabas longas deinceps pronuntiaverit, illico sentiet. Ac totos quidem versus ex continuis spondeis componere nonnisi paucis locis poeta conatus est, iisque tanta arte et vi significanti, ut judicio veterum criticorum, qui ineptam[2]) esse hanc compositionem existimarunt, adstipulari plane nequeam. Quam sententiam ut probem, in omnibus hujusmodi versibus, qui apud Homerum occurunt, significantem quandam et depingentem vim inesse explicabo.

Egregie supplicatio enixa Pisandri et Hippolochi mortis timore paene exanimorum sic introducitur:

ὁ δ᾽ ἐναντίον ὦρτο λέων ὣς
᾽Ατρείδης· τὼ δ᾽ αὖτ᾽ ἐκ δίφρου γουναζέσθην
(Il. XI, 130).

Atque sub eandem fere rationem cadit, quum poeta Achillem ob interfectum amicum demisso animo singultantem depingit hocce versu:

ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο (Il. XXIII, 221).

His quidem versibus animi affectus describuntur, corporea vero hisce:

1) cf. Dion. Hal. de c. v. XVII p. 218: *ὁ σπονδεῖος ἀξίωμα ἔχει μέγα καὶ σεμνότητα πολλήν.*

2) Eustath. Odyss. p. 836: *τὰ τοιαῦτα ἔπη εὐτελῆ φασὶν εἶναι οἱ παλαιοὶ τῇ τῆς στιχοποιΐας κατασκευῇ διὰ τὸ ὀλιγοσύλλαβον.*

εὔξεστοι δὲ τράπεζαι
σίτου καὶ κρειῶν ἠδ᾽ οἴνου βεβρίθασιν (Od. XV, 334)
et *σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτοῦ πειρήναντε*
(Od. XXII, 175, 192)

ubi pondus ciborum in mensa positorum et funis summa cum intentione astrictus aptissime lento versus incessu repraesentantur.

Versus denique, qui occurit Od. XXI, 15 *τὼ δ᾽ ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιϊν* compositionem argumento optime respondere testatur Eustath. Odyss. p. 1086: *ἔστιν οἰκεῖον ἐπιφωνούμενον ἐκεῖ νέοις κατὰ σπουδὴν ὁδεύουσιν.* Quid vero sibi velit Eustathius animadversione: *σεμνὸν μὲν διὰ τοὺς σπονδείους, ἐπίτροχον δὲ διὰ τὸ ὀλιγοσύλλαβον,* non intelligo.

Eadem fere gravitate sunt versus, qui una tantum sede dactylum habent, ut *οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ᾽ ἀρητῆρα*[1]). Ex iis vero versibus, in quibus spondei non tantopere praevalent, miram quandam dignitatem et suavitatem habent, qui a spondeo incipientes deinde accelerato dactylorum cursu ingrediuntur, quo modo tota fere Chrysae precatio (Il. I, 37—42) composita est[2]).

Postremo dicendum est de versibus spondaicis, qui apud Homerum tam saepe occurrunt, ut semper in iis imitationem inesse contendere absurdum sit. Permultis tamen locis haec retardatio, quae aures tam vehementer percellit, ad describendum rerum naturam est aptissima. Ita egregie et vi paene comica Vulcanum claudicantem et anhelantem poeta ante oculos nobis ponit versu:

1) Il. I, 11. cf. III, 178, XIII, 392, XVI, 636.

2) cf. *ἦ καὶ κυανέῃσιν κτλ.* (Il. I, 529) *ἦμος δ᾽ ἠριγένεια κτλ.* permultos alios eiusmodi versus.

ως ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα (Il. I, 600) in quo retardatio etiam augetur vocalium *υ* et *ο* concursu. Saepissime autem quae admirationem faciunt, hoc modo repraesentantur, grandia ac vasta (*θάλασσά τε ἠχηεσσα, κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας*), et praecipue virtus dignitas, reverendaque potestas:

ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων
αἰδεσθεὶς βασιλῆος ἐνιπὴν αἰδοίοιο (Il. IV, 402)
Ζεὺς δ' ἔμπης πάντ' ἰθύνει (Il. XVII, 632).

Denique memorabile est, saepius gravissimas orationes summo cum fructu versu spondaico concludi, quibus ex locis praestantissimus mihi esse videtur, qui exstat Il. VIII, 27:

τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν περί τ' εἴμ' ἀνθρώπων[1]).

Sed haec hactenus de arte, qua poeta dactylum et spondeum ad imitationem adhibuerit. Ne quis autem miretur, quod tam breviter hanc partem tractavi, nam quominus singula copiosiore disceptatione expedirem, angusti hujus disputationis fines prohibebant. Veniamus jam ad caesuram.

QUANTUM VALEAT CAESURA AD IMITATIONEM.

Caesura hexametri ex ipsa versus natura orta est. Nam cum longior esset versus, quam qui uno spiritu pronuntiatus aures suaviter permearet, voci et spiritui, ut sonus jucundus eveniret, intermissio quaerenda erat, verum recitationis tantum intermissio, minime enim caesura moram metricam effici putandum est. In fine vero verbi hanc incisionem fieri oportere elucet. Sed ne con-

[1]) cf. Il. II, 393, VIII, 150, IX, 49.

centus versus, qui per se membrum inseparabile est, violetur, in medium pedem metricum caesura incidit, scilicet ut aures non jam versum finiri illico sentiant. Atque hoc modo cohaerentia illa, quae in rhythmo maximi est momenti, per repugnantiam inter pedem metricum et pedem vocis efficitur. Quae repugnantia quantum valeat ad rhythmum et quam necessaria sit hexametro, optime perspicies, si hexametrum ex quinque *verbis* vel dactylicis vel spondaicis et uno vel spondaico vel trochaico composueris, pessime enim sonabit et hexametri vix similis erit. Sic e. g. Ennii versus: „Hastis longis sparsis campus splendet et horret“ nemini umquam pulcher videbitur. Contra gratissima varietas, quae in hexametris bene compositis conspicua est, hunc ipsum versum ad carmina epica tam aptum reddunt. Ipsa autem caesura existunt ordines „qui formae auxilio ita connectuntur, ut legentibus nec soli ordines, nec sola forma appareant. Ordinum enim discrepantias complanat forma, formae autem aequabilitatem ordinum varietas distinguit[1]).“ Verum non ordines *metricos* cum Hermanno intelligo, sed vocabulorum ordines caesura terminari mihi videntur[2]). Caesura igitur divisionem metricis versus membris repugnantem efficit, contra dihaeresi, quae existit versus ordine cum vocabulorum ordine congruente, versus in metrica membra dividitur.

[1]) Sic God. Hermannus de metr. poet. Graec. et Rom. p. 277.

[2]) cf. Boeckhium de metr. Pind. lib. I, cap. 16: Caesurae vim ac potestatem mihi quidem magnopere videntur ignorare, qui putant ibi statuendam caesuram, ubi terminetur ordo, quippe qui in rhythmi natura sitam opinentur, quam ex solo rhythmorum sermonis et versuum nexu discordi enatam videamus.

Unde caesuras in hexametro proprie nonnisi incisiones post arsin aut post primam theseos brevem syllabam factas appellari posse liquet. Quarum altera mascula, quae vim addat versui, altera femella, quae molliorem et remissiorem reddat versum jure appellantur.

Quoniam igitur de caesurae vi et indole paucis praefati sumus, nunc quam singulari artificio poeta in singulis versus sedibus caesura collocata rerum subjectarum naturam optime imitatus sit exemplis ostendamus.

Caesura in prima arsi poeta divinitus usus est in his: Il. I, 51, Od. IX, 289, Il. V, 147, Il. XI, 96, XII, 395, 398, XIII, 178, XV, 321.

Verbum enim monosyllabum, quod arctissime cum praecedentibus cohaeret, per vim quasi abscissum pressumque in sequentem versum egregie ictus summum impetum describit. In ceteris vero, quae apud Homerum inveni exemplis animus, ut ita dicam, direptus hac tam graviter sub sensus cadente caesura repraesentatur: Od. V, 305, Od. XII, 438, Od. XXII, 54, Il. V, 156.

Quaero, et Ulixes salutem paene desperans et Eurymachus blande mortem deprecans et Phaenops graviter lugens utpote unicis filiis orbatus meliusne ante oculos poni possint?

Caesura *πενθημιμερής* quae vocatur, in epicis longe frequentissima est, cum intermissionem in tertia versus sede fieri hexametri naturae maxime consentaneum sit, crebior vero, quam caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, quia in poesi heroica mollia argumenta non tam frequenter quam gravia strenuaque tractantur; caesura nimirum *πενθημιμερής* semper virile quiddam robustumque sonat. Egregio autem cum fructu poeta permultis locis hac

ipsa caesura actionem continuam et factorum seriem accurate distinguit, ut in notissimis illis:

δούπησεν δὲ πεσών· || ἀράβησε δὲ τεύχε᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ
ἤριπεν ἐξ ὀχέων· || τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν.
μάστιξεν δ᾽ ἐλάαν· || τὼ δ᾽ οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

permultisque aliis locis.

Contraria quoque perspicue ita sibi opponuntur:

εὖχος ἐμοὶ δοίης, || ψυχὴν δ᾽ Ἄϊδι κλυτοπώλῳ
(Il. XVI, 625)
ἐσθλ᾽ ἀγορεύοντες, || κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον
(Od. XVII, 66).

Eximia vero emphasis hoc modo evenit in his: || *νῦν δ᾽ ἀθρόα πάντ᾽ ἀπέτισεν* (Od. I, 43) || *νῦν δὲ χρὴ τετλάμεν ἔμπης* (Od. III, 209) || *νῦν μοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος* (Od. V, 305) || *νῦν δ᾽ ἄλγεα πολλὰ μογήσας* (Od. XIX, 483) || *νῦν αὖτέ με μοῖρα κιχάνει* (Il. XXII, 303), in quibus vox *νῦν* tam significanti loco collocata praecipuam vim habere mihi videtur.

Caesura, quam *κατὰ τρίτον τροχαῖον* vocant, miram quandam suavitatem ac dulcedinem habet, quia oratio intersistit post trochaeum, in quo remissum aliquid et dulce inest. Eximia igitur significantia in agnitionibus et precationibus blandis usurpatur, ut in praeclarissimis illis locis Od. VI, 149 seq., XVI, 187 seq., XIX, 474[1]). „Et volubilior etiam est, quam *πενθημιμερής*, quare egregie Homerus[2]):

αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής."

Τετραποδίαν βουκολικὴν proprie non in caesurarum, sed dihaereseon numero habendam esse eamque ob cau-

[1]) cf. Il. XI, 131, Od. III, 380, VI, 175, XVI, 194.
[2]) Herm. de metr. poet. Gr. et Rom. p. 272.

sam per abusum *τομὴν βουκολικὴν* (caesuram bucolicam) appellari, ex iis, quae supra de caesurae natura disserui liquet. Ac nomen quidem unde duxerit, notissimum, quam vero ob causam poetas bucolicos tam frequenter eam adhibuisse existimem, in transcursu hoc loco explicare mihi liceat. Inest in hac versus divisione mira quaedam vis, ut ita dicam musica, suavissime enim post tetrapodiam dactylicam, post quam graviorem moram fieri opus est, resonat versus Adonius, cujus dulcedinem etiam in stropha Sapphica admiramur. Aptissima igitur haec forma est in carminibus, quibus pastorum hilaritas et ludibria describuntur. Zumptius[1]) hac nimium brevi clausula nativam atque incomptam naturae simplicitatem exprimi putat. Quae quidem in carminis bucolici indolem optime cadit, sed ipsum elementum musicum, quod in hac divisione inest, *mimicae*[2]) illius poesis naturae respondere mihi videtur. Alia vero est tetrapodiae bucolicae conditio in poesi Homerica. Non enim, quod saepissime fit in carminibus bucolicis, apud Homerum singuli versus hac incisione in rhythmica membra dividuntur, sed semper fere, quum interpunctione graviori facta haec incisio eminet, arctissime extrema versus pars cum sequenti cohaeret. Exempla quaedam ex prima Odysseae rhapsodia afferam:

|| *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι Ζηνὸς ἐνὶ μεγάροισι* (v. 26)
|| *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἱέμενος* (v. 57)
|| *οὔδέ νυ σοί περ Ἐντρέπεται* (v. 59)

cf. 85, 91, 106, 120, 123, 129, 144 permultos alios.

Neque in genere structuram hexametri heroici a

[1]) Gramm. Lat. § 844.
[2]) cf. Bernhardy hist. litt. Graec. II, 2 p. 495 seq. (ed. sec.).

compositione hexametri bucolici plane diversam esse quamquam fugiet. Quod vero ad propositum nostrum pertinet, caesura bucolica in versibus motum seu corporis seu animi excitatum depingentibus aptissime adhibetur. Sic in versibus *ὁλοδακτύλοις* saepissime reperitur, verum subprincipalis caesura, principalis enim in talibus plerumque caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, cujus de volubilitate paulo ante est dictum. Eximio autem cum fructu poeta ea usus est in describendis undis, qui primo in alto mari fluctuantur, deinde ingenti impetu in litus praecipitantur ibique franguntur:

πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται· || αὐτὰρ ἔπειτα
χέρσῳ ῥηγνύμενον μέγαλα βρέμει· || ἀμφὶ δέ τ᾽ ἄκρας
(Il. IV, 425 seq.)

in quibus praeter caesurae significantiam etiam verba *πόντῳ* et *χέρσῳ* tam clare opposita eximiam quandam habent efficaciam.

Unum insuper versum afferre mihi liceat, in quo incisio bucolica magna est describendi vi dico:

οἶδ᾽ ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ᾽ ἐπ᾽ ἀριστερὰ || νωμῆσαι | βῶν
(Il. VII, 238)

de quo Clarkio assentior, qui „Motus, inquit, concitos reciprocos et celeriter agitatos optime depingunt hujus versus numeri[1]).“ Multum vero confert ad efficiendum hunc versum depingentem repetitio (*οἶδ᾽ ἐπὶ — οἶδ᾽ ἐπ᾽*)

[1]) Aegre fero, quod Clarkii editio Homeri mihi non praesto fuit. Hanc quidem eius observationem e Sulzeri Theoria lib. art. (p. 681) desumpsi, qui Clarkium impugnat, quod Homerum ut rhythmo et sono res depingentem saepius sine ratione laudibus efferat.

et aequabilitas membrorum rhythmicorum (*οιδ᾽ επι δεξια — οιδ᾽ επ᾽ αριστερα*) et caesura in sexta arsi.

Sequitur, ut de vi caesurae in sexta arsi positae quaedam in medium proferam. Quae quidem quam singularis sit, versu, qui ita exit, pronunciando maxime sentiri potest. Vox enim, quae sub finem versus cadere solet, ne commisceat extrema verba, sed clare pronuntiet, spiritum denuo ducere cogitur. Intermissione igitur quasi ex inopinato facta grande sublimeque seu grave vastumque aliquid proferri aures illico sentiunt.

Praeclare multis locis Jovis nomen hoc significanti loco positum summam ejus majestatem atque potentiam repraesentat: *νεφεληγερέτα* || *Ζεύς, στεροπηγερέτα* || *Ζεύς, μητιέτα* || *Ζεύς, εὐρυόπα* || *Ζῆν,* quae optime Virgilius est imitatus hisce: „divom pater atque hominum || rex.“ Alia exempla permulta exstant in carminibus Homericis, ex quibus quaedam significantissima afferam: *ἰσόθεος* || *φώς* (saepius) *κατ᾽ ἄσβεστος κέχυτο* || *φλόξ* (Il. XVI, 123) *ὀρώρει δ᾽ οὐρανόθεν* || *νύξ, ὁ δ᾽ αντίον ὦρτο λέων* || *ὥς* (Il. XI, 129) *ὁ δ᾽ αὐτ᾽ ἔπεσεν μελίη* || *ὥς*[1]). Aptissimeque gradus boum tardus depingitur notissimo illo: *εἰλίποδας ἕλικας* || *βοῦς.* Atque augetur etiam gravitas spondeo in quinta versus sede posito, ut in hisce: *χαμαὶ πέσεν αἴγειρος* || *ὥς* (Il. IV, 482) et *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα* || *χθών* (Il. VIII, 150) quibus verbis Diomedes, cui honor majoris est, quam vita, nervosam orationem graviter claudit.

---

[1]) Versus, qui particulis encliticis *περ* vel *τε* clauduntur, sub hanc rationem non cadunt, quippe quae coalescant cum praecedentibus, *ὡς* vero coniunctioni inversione major vis accedit.

„Quum vero haec forma ad parva et levia applicatur, ironice ea in risum et contemptum adducuntur[1]):

ὅντε καὶ υψόθ᾽ ἐόντα πόδας ταχύς οὐκ ἔλαθε || *πτώξ*
(Il. XVII, 676)

ἄντλῳ δ᾽ ἐνδούπησε πεσοῦσ᾽ ως εἰναλίη || *κήξ*
(Od. XV, 479)

in quibus vim quasi comicam inesse quis est quin concedat? Schlegelius quidem in commentatione de Vossii versione Homeri, quam jam supra memoravimus[2]), sublimia et ridicula possintne eadem forma exprimi dubitat, sed ineptissima est haec dubitatio[3]). Eo enim ipso, quod forma in sublimibus argumentis usitata ei accedit, ridiculum aliquid magis elucet. Quod bene intelligentes Virgilius et Horatius hoc compositionis artificium venuste imitati sunt: „exiguus mus“ (Georg. I, 181), „ridiculus mus“ (A. P. 139). Gratissimam vero omnino animo nostro esse hanc jocosam formae et argumenti repugnantiam, jam inde colligere licet, quod omnium fere excultiorum gentium poetae per tota carmina in argumentis minime severis forma in magnis et heroicis usurpata usi proprium artis genus (carmen heroico-comicum, komisches Heldengedicht) constituerunt.

Sed haec hactenus de vi caesurae. Admirantibus autem nobis hanc tantam compositionis artem summopere dolendum est, quod lingua nostra, quamvis multis

---

[1]) Sic Hermannus l. l. p. 275.

[2]) Kritische Schriften I, p. 147.

[3]) cf. quae subtiliter hac de quaestione disputavit J. H. Vossius ad Georg. I, 181.

de causis inter ceteras linguas recentiores excellat[1]), tamen ea compositionis et structurae libertate caret, sine qua tam pulchra varietas existere non potest. Nam structura orationis vinctae licet apud nos quoque longe liberior sit, quam orationis solutae, tamen hac ex parte nullo modo cum linguis veteribus comparari potest.

Jam finem faciam; magna autem me spes tenet, fore ut aliquando singulas disputationis partes diligentiori cura perlustrando ad rectam divinae poesis Homericae existimationem aliquantulum conferam.

[1]) Lepide hanc rem tractavit A. W. Schlegelius in dialogo linguarum (Kritische Schriften Vol. I).

VITA.

Carolus Theodorus Ludovicus Bernardus Noeldechen natus sum Wolmirstadii in urbe Saxoniae provinciae prope Magdeburgium sita anno h. s. XLI mensis Decembris die XIII patre Bernardo, matre Carolina, e gente Nauck, quibus superstitibus adhuc summopere gaudeo quosque Deus O. M. per multos abhinc annos salvos mihi conservet. Primis litterarum elementis patre carissimo magistro imbutus anno h. s. LV gymnasium Halberstadiense adii, quod Theodoro Schmid directore doctissimo et humanissimo etiamnunc floret, idque per quinquennium frequentavi. Maturitatis autem testimonium adeptus vere anni h. s. LX Berolinum me contuli, ut in litteras philologicas incumberem, ubi ab Ill. Boeckh, universitatis t. t. rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Trendelenburg, t. t. decano spectatissimo ordini philosophorum adscriptus sum. Per septem semestria scholas frequentavi virr. Ill. Boeckh, Haupt, Werder, Droysen, Trendelenburg, Geppert, Bopp, Friedrichs, quibus omnibus optime de me meritis hoc loco gratias ago quam maximas.

THESES.

1. A Graecorum tragoedia res comicae non plane abhorrent.
2. Locus Virgilianus Aen. IV, 587 minime conjectura egere mihi videtur.
3. Duos priores Xenophontis Hellenicorum libros non nisi ad continuandam Thucydidis historiam scriptos et a quinque posterioribus separandos esse censeo.
4. De loco Homeri Il. III, 182 Eustathio et scholiastae Veneto assentior.
5. In Horatii carmine lib. I, 28 de dialogo non cogitandum esse censeo.